

Distinctionum Tertij Libri Sententiarum.

pisse sequeretur, quod supra est improbatum. Sequeretur etiam, quod secundum quod homo, esset tertia in trinitate persona, quod patet esse falsum. Nec oppositum argui potest, eo quod est substantia rationalis. Non enim hoc sufficit ad rationem personae, quae dicitur quasi per se sonans, nec alteri coniuncta, sicut tamen est natura humana in Christo. Neque est vulgaris personae definitio personis diuinis conueniens, sed alij. Sed, & nec impedit eum secundum quod hominem praedestinatum esse filium Dei, qui est persona. Non enim quo est, eo homo filius Dei est, sed per gratiam hoc accepit. Denique nec filius adoptiuus. Christus dei est, sed naturalis. Non enim prius esse coepit, & posthac in filium adoptatus est, sed semper fuit filius aeterni patris. Virginis quoque filius est per naturam, & gratiam; non quidem adoptionis, sed unionis. Potest autem dici personam quae semper fuit, praedestinatum esse secundum hominem assumptum, ut scilicet ipsa ens homo, esse filius Dei. Item, & naturam humanam, ut verbo patris personam uniretur. *Quod Christo nomen personae conuenit, hoc fit Ipsius haud hominis, sed ratione Dei.*

DISTINCTION. XLQVAE INCIPIT.
Solet etiam quaeri &c. epitome.

¶ Simpliciter, & absque determinatione dici non debet Christus factus, creatus, uel creatura: quippe per quam omnia facta sunt, atque per hoc ipse factus absolute dici non potest. Et alioquin ipsi euangelium praedicta tamen diceret, essetque subiectus uanitati. Haec etenim secundum scripturas omni conueniunt creaturae. At de Christo ea absolute dici est absurdum. Verum tamen coeundi potest ad dictam determinationem. Est enim creatura, in quantum homo, & in quantum talis, esse coepit. Per quod quidem non sequitur, eum simpliciter esse creaturam, aut coepisse. Nam hoc esset procedere tropice a parte ad totum.

Non qui simpliciter Christus factura uocari. Quamuis hoc certa conditione queat.

DISTINCT. XII. QVAE INCIPIT,
Post praedicta quaeritur &c. epitome.

¶ Ad hanc uel similem, an ille homo, scilicet Christus esse coepit, non est sine distinctione respondendum. Nempe si ad personam respicias, uerum est eum semper fuisse. si uero ad naturam humanam conceditur eum coepisse. Per quam distinctionem, & autoritates, quae contrariae uidentur, ut quod Christus est recens homo, & quod puer ille creauit stellas, absolute possunt. Notuit autem Christus hominem aliunde assumere, quam de genere Adam: sed ita fieri magis congruebat, ut sic diabolus uinceretur per aliquem de genere, eius, qui uictus fuerat. Tamen si autem de genere Adam assumptus sit homo, tamen nec persona, ipsius nec natura assumpta, ut uerbo unita, peccare potuit, quia ut in se considerata. Nec obstat liberum eum arbitrium habuisse, cum nec in angelis confirmatis hoc peccabilitate arguat. Quod etiam scriptum est, qui potuit transgredi, & non est transgressus, de membris Christi potius intelligendum est totum, aut solum pro ultima parte de Christo, Qui & sexum muliebrem assumere quidem potuit, sed uirilem ex foemina eum assumere magis erat congruum, ut sic utriusque sexus liberatio per eum fienda ostenderetur. *Non potuit Christus quamuis committere culpam, An potuit fieri foemina factus homo.*

DISTINCT. XIII. QVAE INCIPIT,
Perterea sciendum, epito.

¶ Plenus fuit sapientia, & gratia, ac omnibus donis Christus secundum hominem, mox ab infantia quando conceptus est, a deo, quod nec amplius accipere possit. Non enim est ei datus spiritus ad mensuram, & de plenitudine ne ipsius, ut puta capitis, secundum quandam similitudinem omnes acciperunt. Nec contra hoc est, scripturas dicere eum in his profecisse. Nam hoc fiebat non per augmentum talium successiue accipiendum, sed secundum exteriorum, & ampliorum manifestationem. Quo etiam modo intelligendum est, quod, Ambrosius dicere uult eum secundum sensum hominis profecisse, iuxta quod scriptura insinuat eum parentes ignorasse, id est, sic se ad eos habuisse, quasi agnitionis eorum tunc experis esset. Vel extra textum dici potest, de experimentali hoc scientia accipiendum. *Christum uirginem quam mox conceptus in aluo est Sic, nihil ut supra, cuncta habuisse simul.*

DISTINCT. XIII. QVAE INCIPIT,
Hic quaeri opus est &c. epitome.

¶ Omnia quae Deus scit, anima Christi per scientiam sibi collatam in uerbo cognoscit: nec tamen per hoc scientiam Dei equatur, quando non ita peripicue, ut Deus ea intelligit. Non igitur omnia quae Deus, quo ad numerum scitorum, non tamen quo ad sciendi modum. Ex hoc autem non sequitur, eam creare quid posse. Quamuis enim creandi habeat beatam scientiam agnoscens quomodo mundus est creatus: non tamen creandi habet potentiam, cum sit creatura, quae capax non est omnipotentiae, qualis in creatione requiritur. Veruntamen iuxta Ambrosium, Christus omnipotentia, quae filius Dei semper habet naturaliter, hanc dum filius hominis factus est, ex tempore accepisse dicitur, pro eo quod persona, quae uerbi semper fuit, futura quoque erat persona hominis. *Omnia Christi animam nouisse sciebimus, omnes Non tamen omnipotens ipsa fuisse datur.*

DISTINCT. XXV. QVAE INCIPIT,
Illud quoque praetermittendum non est &c. epito.

¶ Vera hominis natura tamen quo ad corpus, quam animam, passibilem Christus assumpsit cum utriusque defectibus poenalis, non quidem omnibus, sed ipsis, quo suspensum suscipere decuit. & saluti nostrae expediiuit: secundum quod, & intelligendum sunt, si quae scripturae occurrunt, quae omnes defectus praeter personam assumptam asserunt. Hinc dicere dolorem, in carne, & in anima tristitia uera passionis tempore. Christum non sensisse, a ueritate alienum est, & haereticum: ac si dicatur ipsum non hominem uerum, sed eius tantum similitudinem assumpsisse. Hinc uerba Hilarij, quae oppositum dicere uidentur sane intelligi oportet. Quos tamen defectus poenales non coactum assumpsit, sed uoluntarie, secundum quaedam per passionem, quo. scilicet mens ipsius a rectitudine, Dei contemplatione eiusdem passionibus non sit dimota. *Sustinuit nostre Christus discrimina uisus, Quae sibi pro nobis congrua uisa pati.*

DISTINCT. XVI. QVAE INCIPIT
Hic oritur quaestio &c. epito.

¶ Nedium moriendi aptitudinem, uerum, & patienda in anima, & moriendi in corpore Christus assumpsit necessitatem, non quidem aliqua coactione, sed d spontanea uoluntate. Nam nec nobis haec necessitas, pue Tom. iij. D. Dion. Cart. * 4 nit